

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

redeunt ad te Filii tui, quorum ingenia, pietas, doctrina, mores innocentissimi, verè ad illam Salomonis Gnomem congruunt: Filii sapientes lætificant patrem, & corona sunt matri suæ. Nec dubito eos, qua sunt naturæ bonitate, illam Epaminundæ vocem, ex intimo sensu naturæ optimæ probatam, velut vitæ regulam, sibi proponere: Qui, maximis rebus præclare gestis, hunc se præcipuum capere laborum suorum fructum dixit: quod Parentes adhuc vivos, & virtutis ac gloriæ suæ spectatores haberet. Oro autem æternum DEUM Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut filios tuos in hoc itinere protegat, & universum vitæ eorum cursum ad Christi gloriam & multorum hominum salutem gubernet. Ego in hoc littore Balthico, ut Prometheus ad Caucasum affixus hæreo: ac privatas molestias absorbent publicæ Ecclesiæ calamitates multiplices. Recens etiam novum tumultum, adversus hanc urbem, Principes mei, prohibita per paucos equites circa urbem vagantes importatione commeatuum, moverunt, cujus incommoda omnium primò Academia sensit, Scholasticis multis subito terrore, & impendentis obsidionis metu, dissipatis. Id præcipuè Diabolum moliri videmus. Sed nolim tibi de filiorum cariss. reditu felice lætanti, miseriarum nostrarum commemoratione molestiam aspergere, præsertim cum ex filiis tuis omnia, quæ voles, de harum regionum & Danicis etiam Ecclesiis & Scholis cognoscere possis. Bene & feliciter vale. Die Johannis Baptistæ. Rostochii.

David Chytræus.



CXXXV.

Salutem in Christo.

PRÆter expectationem subito cum avocatus essem, copiosè ad literas tuas, Vir Clarissime & mihi in Domino honorande frater, respondere non potui, faciam autem id per Pappum nostrum, qui sequenti septimana, Domino volente, ad vos rediturus est. Unum autem est, quod abs te magnopere, & per Christum peto, & oro, ut quantum in te est, impediās, ne D. Müllhemius officium Scholarchæ resignet. Id enim si fecerit, vos ipsos maximo patrocinio spoliabit. Cujus præsentiam, nolint, velint, reformidare debent ii, qui & vobis & Ministerio vestro male volunt. Quo discedente pro libidine dominabuntur. Quid de Vestro Consilio & de Pappo sentiam, quem ad hujus officii administrationem elegerunt adversarii Vestri haud dubie in odium personæ Tuæ, proximis literis copiosè scribam. Hoc solum te per Christum oro, ne patiaris tibi hanc mutationem molestam esse. Dominus enim honorem nominis Tui vindicabit, si ei vindictam permiseris, idque magno tuo commodo, de quo minime dubites. Bene & feliciter vale. Hoc loco Rece-

M m m 3

pisse

pisse scripsi, ut scias, tuas literas mihi fideliter redditas, mihi que negotium hoc curæ esse. Bene & feliciter vale. Raptim Bebenhausen, 1573.

Tuus ex animo totus

Jacobus Andreae, D.

CXXXVI.

Salutem in eo, qui unica est salus & redemptio nostra.

HAberem sanè, Clarissime Vir, frater in Christo dilectissime, occasionem amplissimam, copiosius ad te, hoc maxime tempore, quo ex uxoris meæ litteris abundè intellexi, quam humaniter ipsam Argentinæ exceperis, quam lautè tractaris, quam denique amicè ad Thermas proficiscentem dimiseris, scribendi, tibi que pro eo, ac potest, gratias quam maximas agendi. Verum hæc Evcharisticas differam, ad reditum ejusdem, scripturus deinceps, non tantum ad te, sed ad reliquos omnes & singulos, quorum uxor insignem benevolentiam, in hoc suscepto itinere est expectata. Jam tantum scribo, propter stipendiarios Reipublicæ nostræ, Scherbium & Violam. Avocabuntur hi, hoc mercatu vestro, literis Dominorum meorum, sicuti & reliqui, qui Tubingæ hæcenus vixerunt. Instituetur cum præsentibus Examen publicum, audientur quoque in Ecclesia publicè, ut intelligant Domini, quam benè sumptus suos hæcenus collocarint, & quisnam illorum deinceps usus, tam in Ecclesia, quam in Schola esse possit. Hos ut tu ad nos mittas, instructos & ornatos testimonio, quo digni sunt, peramanter rogo & oro. Curabo, quantum in me est, ut vel ipsi ad vos remittantur, vel alii in ipsorum locum substituantur. Cæterum quam longè gratissima mihi fuerit præsentia & unius atque alterius horulæ amicissima conversatio, cum Reverendo & ornatissimo Viro, D. Magistro Pappo, Commensali, Sympatriota & Collega tuò, dici sanè vix potest. Exposuit is mihi, ex sententia & jussu tuo, copiosius statum & Reipublicæ & Ecclesiæ & Scholæ vestræ, pro qua amicissima communionem, tibi officiosè & reverenter ago gratias. Deprehendi ego in hoc ipso Viro, non tam morum suavitatem quam eruditionem insignem; & ex animo non tam mihi sum gavissus, quod data fuerit occasio contrahendi cum ipso familiaritatem, quam Ecclesiæ & Scholæ vestræ gratulatus, quod tali viro est ornata, cuius eruditio multiplex, multipliciter & prodesse in utraque statione & auditoribus & studiosis poterit. Hunc ut meis verbis officiosè & reverenter salutes, maximo sanè opere abs te contendo. Novarum rerum apud nos nihil est, nisi electio Regis Polonici à DEO Optimo Maximo dubio procul in hunc finem directa, ut hic novus

Rex,